

Est autem summi imperii procuratio BEROLINI. Meretur enim haec vrbs, regia sedes esse, in qua nouum ORBIS LVMEN & literarum arcana ratio pollicetur, & res ipsa manifesto comprobat sistitque.

(I.) *Inter stupendi operis aedificia, quae nostrae aetatis Principem unicum fere conditorem habent, a) arx, ante triennium ingenti sumtu restaurata, ut Rege habitatore dignissima omnino sit. b) armamentarium, tormentis primae magnitudinis spissum. c) Bibliotheca & nitore librorum & copia delectat, d) nummorum selectissimorum thesaurus oculos animosque pascit, e) rariorum custodiae, die Rarität = und Kunst-Rämmern, eruditos spectatores volunt, f) Academiae Pictorum, Mechanicorum, Sculptorum magnae demum sunt in oculis artificum, g) stabulum inferiori loco equos ex omni Europa selectos adductosque; superiori arma ceteraque ad aulae nitorem & elegantiam pertinentia oculis intuentium sistit, h) pons ex utruque latere statuas habet cum artificiosissimis conferendas, i) in cataractis sumtuosissima opera latent, l) vrbis uniuersum sistema quinque oppidis absoluuntur, omni ratione inuicem distinctis, m) templa, curias praetereo, n) palatia plura a priuatis habitantur, quae principes capere possent, o) plateae aequales & spatiose sunt; quas incolarum concursus, ultro citroque agentium, fere angustas reddit; p) Itali, Galli, Belgae, Heluetii, neque harum tantum nationum ciues; q) silua, ubi ferae sepimento cinetae sunt, ipsam urbem attingit inestimabili amoenitate, ut hortos plures praeteream; r) sub umbris arborum intra urbem quoque ire, vehique poteris, die tours a la mode; s) naues in Sueuo amne & soluere videoas & appellere in dem Pack-Hauff; t) publicos item cursores nuntiosque & ire & redire. Sed qui finire non possum orationem, abrumpo eandem.*

(II.) *Extra urbem in vicinis praediis palatia habet Rex; ubi clementiori tempestate animum diuertere solet. Praecipua eorum a) Vranienburgum, b) Potsdamum, c) Coepenick, d) Schoenhusium, e) Luzelburgum, quod iam vocatur Charlottenburg, f) Friderichsfelda. Inter Regis fratres unus Suedi, alter Sonnenburgi, tertius Guili-zii.*

§. XIII.